

DISSERTATIO IN MUSICA INSTRUMENTA HEBRÆORUM.

Genio tantum indulgendi populo suo permisisse Deum in Templo Musicam & instrumenta S. Chryostomus & Theodoretus autumant (a). Nihil ea de re in Lege constitutum, longoque temporis spatio musica in Tabernaculo filuit. David omnium primus novam in ea re disciplinam innoxit, & Cantores voce pariter & instrumentis Domino censuit consecrandos; qua in regno rudioris populi consultum est, quod in Religionem resque sacras pelliceretur, magisque ab Idololatria, & superstitione removeretur. In Ecclesia Christiana primorum saculorum, & cum res pietatis maxime florerent, nihil auditum in cetibus religionis de musica musicisve instrumentis; nihilque ea in re de pristino disciplina tenore remissum fuisset, nisi imbecillitati Fidelium (quorum pietas externis hisce fulcienda erat, & cor in Deum resque Divinas erigendum) consulendum fuisset.

Quod verò totus iste musica, & instrumentorum apparatus à cultu omnibus numeris absoluto, atque eximia illa, quam Deus à suis reposcit, animi sanctitate distat, ed reliquis caeremoniis legalibus, cruentisque Sacrificiis supereminet. Tam piam atque utilem disciplinam curas suas omnes reposcere sapientissimi quique, & sanctissimi Veteris Legis Heroes arbitrati sunt: atque inter præcipuas reformati divini cultus leges, musica in Templo restitutionem nunquam non reputarunt. Quam sæpe Deus ipse Sacra Cantica, & laudis sacrificia cruentis victimis prætulit? Sacrificium laudis honorificabit me (b). Quam sæpe Prophete populum hortabantur, ut loco victimarum, & pinguisimorum arietum pura laudum holocausta, & Sacrificia gratiarum actionis offerrent? Monebant tamen non segniter, eas laudes, & musicas cantilenas jungi oportere cum iustitia, & pietate, ut concinnum auribus Dei melos exhiberent; siquidem tædio sunt Deo cantilenæ, & harmonia, quas vitæ Sanctitas & innocentia non animat (c): Aufer à me tumultum carminum tuorum, & Cantica lyræ tua non audiam.

Post discussum in præcedenti dissertatione de Musica Veterum Hebræorum argumentum, nonnulla modò de musicis illo-

rum instrumentis afferenda sunt. Quod sanè argumentum curiosum alioqui, & maxime utile; satis hucusque neglectum miramur pariter, & dolemus. Interpretum enim plerique seriâ rei discussione omisâ, satis habent insinuare, hanc de musicis instrumentis Hebræorum cognitionem in oblivionis tenebris alè defossam, conatus omnes laborantium fallere. Sed oportebat pariter demonstrare, voces illas, quibus plerumque instrumenta designata creduntur, re tamen aliud præter instrumenta significasse; cum interim qua musica illa instrumenta verè designant, minus lateant, quam vulgo creditur. Si quid tandem nos fugit in nominibus Hebræicis, nunquid ne sanè non assequimur ea, quæ apud Septuaginta & Vulgatam posita sunt? Nec ingratum accidit sedulo Lectori didicisse, quid maxime fuerit Psalterium, Tympanum, Nablum, Sistrum, Cythara, & Lyra Veterum. Profecò si omnia Hebræorum instrumenta describere non obvenit nobis, illud saltem præmii loco habebimus, quòd de nonnullis non inverosimiles conjecturas afferre contigerit; plura simul obscura Sacra Scripturæ loca nostris hisce observationibus de Veterum instrumentis pandentes.

Atque in ipso disputationis limine animadvertere juvat, Musica instrumenta in Græcos Latinosque nonnisi ab Orientalibus venisse, ut proinde plurimum ad Hebraica accessisse credenda sint. Hebraica verò eadem reputanda cum instrumentis musicis Ægyptiorum, Chaldaeorum, Phœnicum, & Syrorum. Non est igitur, cur animis respondeamus, fontem in rivis quærentes, atque sedulo investigantes tandem fiet, ut figuram & usum instrumentorum, quibus Judæi, & Orientales utebantur, apud Græcos, & Romanos saltem adumbratamprehendamus. Vani semper, & propriæ gloriæ unice Rudentes Græci, sparserunt in vulgus, recepta apud ipsos instrumenta nonnisi Diis, sive vetustis eorum Vatribus deberi. Nunquam fermè Apollinem, Minervam, Mercurium Pana, nisi Musica aliqua instrumenta gestantes expriment. Sed factabundæ gentis ambitionem Scriptura ipsa revincit. Religio, Numina, Musica, Poësis non in Græcia nata, sed aliunde in eam Regionem venerunt. Majori fide Latini facti sunt, musica se instrumenta ex Oriente recepisse. Juvenalis Sat. 3.

Jam-

a Chrysof. & Theodoret. in Psal. 150.

b Psal. 49. 23.

c Amos 5. 23.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas Obliquas, nec non gentilia tympana secum Vexit.

Titus Livius narrat, nonnisi post bellum Romanum cum Antiocho Magno receptas in Urbe turbas foeminarum instrumentis ludentium, & in conviviis adjecta symphoniarum oblectamenta (d).

d Livius l. 39. Tunc Psalteria, Sambucistris, & convivialia ludorum oblectamenta aditæ epulis.

Græci pariter, repugnante licet insitogentis studio mentiendi, & in majus sesefferendi, quòd veram plurium suorum musicorum instrumentorum originem scrutentur, aliunde illa repetiisse coguntur. Itaque è Phrygia interdum sive è Lidia, sepe è Syria vel Ægypto, sive Perside derivant. Quòd ad Judæos spectat, recepisse illos musica instrumenta constat ex Chaldæis, quibus originem suam debent, & ex Ægyptiis, apud quos diutius commorati sunt, ac tandem ex Phœnicibus cæterisque Arabia & Syria populis, quorum media eorum regio continebatur. Nunquam illi rei inventæ honorem sibi vindicandum susceperunt; quamquam perfectæ atque in sacros, & laudabiles usus, Dei nempe laudes celebrandi, traductæ illis jure meritoque tribuatur. Quæ sanè gentis prærogativa illam à cæteris omnibus distinguit, quæ in usus quidem Religionis musicam adhibuerunt, sed non eâ assiduitate, pompâ, & curâ, qua semper Judæi.

Si qua fides Rabbinis atque Interpretum plerisque, major vindicanda esset Hebræis instrumentorum copia, quam quæ apud alias gentes innotescat. Recensent illi non minus quàm 34. quò de numero nos uno penne ductu 14. subducimus. Hęc nomina.

1. Negbinot, quam vocem Septuaginta reddunt Hymni, Vulgata Canticum. Hebræus ad literam sonat, Instrumentis ludentes sive carmina ad musica instrumenta cantanda. Collatis autem simul omnibus textibus, in quibus vox illa recurrit, has tantum geminas significationes reperio, e. g. Job 30. 9. Nunc in eorum Canticum (Negbinot) versus sum; Psal. 68. 13. In me psallebant, qui bibebant vinum; & in pluribus titulis Psalmodum (e). Ad musica moderatorem; Qui instrumentis fidicularibus, præst.

e Psal. 60. 1. Lammaceab al negbinot.

f Psal. 5. 1.

2. Hannechilot, apud Septuaginta, & Vulgatam redditur, Quæ hereditatem consequitur (f). Recentiores Interpretes plerique musicum aliquid instrumentum eo nomine designatum malunt, quòd scilicet ex radice derivetur exprimente perforare, tibi ludere; ut proinde. Nechilot sonet tibi seu simile quodcumque instrumentum. Nos tamen reddendum autumamus choreas & muliercularum saltantium choros; in quem sensum etiam reddimus vocem Machaloth in titulis Psalmodum 52. & 77. occurrentem; & ex eodem verbo derivanda est. Ita pariter vertit Chaldæus, & genuina vocis Chalal significatio sonat choreas ducere.

Differt. Calmet. Tom. I.

3. Haseheminit, octava (g), quò designatum credunt instrumentum octo fidibus instructum; sed in Paralipomenis occurrit octava classis Musicorum Templi (h), quam facile hoc in loco designatam credimus nomine Seheminit. Mathathias & Eliphalu &c. in citharis pro octava canebant [Hebr. Al-Haseheminit].

g Psal. 67. 11. 1.

h 1. Par. 15. 21. bekinnu roth al halcheameinit.

4. Sigaion, quò Septuaginta vertunt tantum Psalmus David; alii, Pso ignoratione: (nempe crimine ex ignorantia commisso) sonat potius Canticum solaminis in luctu, ac si diceretur Tristia vel Elegia. Vide nostrum argumentum in Psal. 7. & titulum tertii capitis Habacuc, in quo vox Sigaionoth ex eadem radice ac Sigaion. Notæ sunt apud Turcas nostrâ etiam ætate foemina instrumentis ludentes & saltatrices, quas appellant Tschingenes (i).

i Thevenoth. Vide c. 41. & 25.

k Psal. 8. 1. al gittith Vide Psal. 80. & 83.

5. Gittith (k) Septuaginta pro torculari, quasi scilicet pro Gittith legerint Gittob. Porro Gittith sonat Gethæam, qua voce musicum aliquid instrumentum designari nullo argumento probatur; & Syntaxis Hebraica insinuare videtur Psalmos ita, inscriptos ad Præfatum Chori Gethæarum dirigi, sive quòd Gethæas Cantatrices David in Aula detineret; quemadmodum ex eadem gente corporis custodes habebat; sive quòd Cantatrices Israelitica ignotâ aliquâ de causâ eo nomine appellarentur. Porro foeminas Cantatrices usibus Aulae non fecus ac Templi additas fuisse in Dissertatione de musica Hebræorum demonstravimus.

6. Almoth sive Almoth vel Hal-moth, Septuaginta Pro oculis. Chaldæus, S. Hieronymus, & Symmachus: In mortem filii. In Psal. 9. redditur ea vox, Puella, quò eodem sensu usurpatur in 1. Par. 15. 18. 20. De musico instrumento exponendam nihil suadet.

l Psal. 15. 1.

7. Mitham Septuaginta, & Vulgata reddunt, Tituli inscriptio (l): Aquila, Symmachus, & S. Hieronymus, Psalmus humilis, & simplicis David; sonat: Psalmus nomine David inscriptus (m). Quicumque musicum instrumentum reddunt, illi ignorantia & incuriositatis suæ causationem quærunt.

m Vide Argum. Pss. 15. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60.

8. Ajeleth Hasebachar (n), redditur à Septuaginta, Auxilium matutinum; à plerisque ex Recentioribus, Serpens matutinus. Nomen est etiam classis Cantorum, vel Cantatricum, quemadmodum syntaxis Textus satis demonstrat; quamvis alioqui ejus nominis ratio penitus ignoretur.

n Psal. 21. 1. al ajeleth hasebachar. Vulgat. pro susceptione matutina.

9. Schofchanim Vulgata & Septuaginta reddunt (o), Pro iis qui commutabuntur. S. Hieronymus & Aquila, Pro liliis; Symmachus, Pro floribus; recentiores Interpretes plerique Instrumentum sex fidibus instructum. Porro Textus Hebraicus Tituli Psalmodi 44. in quo vox illa legitur, reddi potest: Psalmus didascalicus ad Præfatum musica filiorum Core, ad instrumentum sex fidibus instructum decantandus. Canticum dilectorum, vel potius. Psalmus didascalicus ad Præfatum filiorum Core, quò gaudiis præst. Est equidem nuptiale carmen; gaudii & tripudii. Quemadmodum &

o Psal. 44. 1. Lammaceab al Schofchanim lesne Koreh.

F ff 2 ejust.

eiusdem sunt argumenti ceteri Psalmi eodem titulo inscripti, & non nisi vi quâdam verbis illatâ Schofanim à Schesch, sex, derivaretur. Sonat autem, nemine ambigente, tripudium; & Hebraica Syntaxis obvio sensu exprimit Chorum adolescentulorum, qui festum aliquod veluti nuptiale celebrant, vel saltem similis festi occasione cantant. Disertè etiam Textus exprimit Canticum dilectorum, nempe epithalamium à puellis nuptiarum die cantatum.

p Exod. 15. 20. q Judic. 21. 27. r 1. Reg. 18. 6. s 3. Reg. 1. 40. * Pf. 67. 26. t Psal. 55. 1.

10. Machalat, sive Maeleth, ut habent Septuaginta & Vulgata, sonat Chorea. Est igitur inscriptus Psalmus musicæ Præfecto, choreas illas religiosas, de quibus sæpe in Scriptura, curante. Chorea ductas legimus post transfretationem Erythraei (p); choreas habebant puellæ ad Tabernaculum Silo venientes [q]; choreis itidem celebrantur relata à Davide de Goliath victoriam [r]; cum Regnum à Salomone iniretur (s); ac tandem cum in translatione Arcæ Jerosolymam puellæ festas choreas egerunt (*).

11. Jonath-Elem recokim redditur à Septuaginta (t), Pro populo qui à Sanctis longè factus est; & à cæteris ferè omnibus, In columbam mutam elongationum. Pluribus nostræ ætatis Interpretibus est musicum instrumentum, cujus tamen nullam mentionem aut vestigium reperio neque in Textu originali, neque in cæteris Scripturæ locis, ubi de instrumentis sermo. Crediderim potius nomen esse certæ musicorum classis, cujus appellationis causa prorsus ignoratur.

u Psal. 31. 1. x Psal. 41. & 42. & 43. & 44. & 52. & 73. & 77. & 87. & 88. & 141. 1. y Psal. 56. & 57. & 58. & 74.

12. Higgsion legitur Pf. 21. 17. & Pf. 19. 15. & Pf. 91. 4. Plerique tam recentiores quàm veteres Interpretes exponunt de meditatione sive Cantico; nec aliam ego magis genuinam vocis interpretationem, quæsi verim, quippe quæ ex radice derivetur sonante meditari, sive meditata loqui. In Psalmo 91. 4. jungitur Kinnor, quod nomen est musici instrumenti, & synonymum videtur instrumenti decacordi: In decacordo Psalterio (Hafur Nebel) cum Cantico (Higgsion) & Cythara (Kinnor). Is unus Textus favere potest sententiæ, quæ vocem illam de musico instrumento interpretatur.

13. Maschebil (u) sonat ad literam, qui docet; quare voci Mismor junctam reddi posse credimus, Psalmus didascalicus. Legitur is titulus in fronte duodecim Psalmorum (x); in Psalmo 46. 8. designare videtur peritum Cantorem. Psallite sapienter (Psallite Maschebil, ut periti scilicet doctique Cantores).

14. Al-taschbet, Ne desperas; legitur in inscriptionibus quatuor Psalmorum (y), eoque facile præcavemur sedulo carmen illud servare, neque immutari quidquam, permittente. Instrumentum aliquod musicum designare Interpretes quidem nonnulli opinantur, sed temerè, quantum capio. Nullum huc usque satis certum musici instrumenti nomen deprehendimus. Ita ex 34. quot à pluribus recensentur, 14. subductis, remanent viginti nobis jam discutienda.

Ex quo numero quædam forte occurrunt nomina synonyma, & ad eandem categoriam reducenda, ut variorum instrumentorum numerus adhuc extenuetur. Omnia verò nos in tres classes distribuimus. Primam tenent fidicularia instrumenta. 2. Pneumatica. 3. Tympana, & Crepitacula.

Fidicularia instrumenta 8. recensentur: 1. Nablum; 2. Kinnor; 3. Hafur, sive instrumentum decacordum; 4. Cythara; 5. Psalterium; 6. Symphonia; 7. Sambuca; 8. Minnim sive Mnaim. Sed decacordum instrumentum & cytharam confundenda censemus, quemadmodum & Nebel cum Psalterio sive Psalteron, ut proinde ex 8. sex reddantur.

Tibiarum tubarumque septem sunt genera. 1. Chazazereth; 2. Schophar Buccina; 3. Keren Cornu; 4. Huggab Organum; 5. Masrokitha Tibia; 6. Machalat Chorus; Tibiam utricularem interpretantur; 7. Chabil Tibia. Addunt nonnulli Jobel sive Jubal, quod de buccina quadam usurpant; sed hanc opinionem alibi refutavimus [z]. Non abs re suspicamur, Chabil & Masrokitha, unum idemque significare; atque postremum illud confundendum cum Syringe Grecorum, quæ Tibiam sonat. Itaque sola supersunt hujus generis sex varia instrumenta.

Sunt tandem quatuor alia omnino à prioribus illis diversa; 1. Taph Tympanum; 2. Zazelim Sistrum; 3. Schalischim, quod facile Trigonum designat; 4. Mezilotaim, fortè crepitaculum.

In Scriptis Mosaicis septem tantummodo instrumenta leguntur: Kinnor, Huggab, Taph, Machalat, Chazazereth, Schophar, & Jobel. In Libris Regum, Prophetarum, & Paralipomenon, præter hæc, parent Nebelim, Mezilotaim, Menanaim, & Zalalim. Daniel tibias addit sive Masrokitha, Cytharam, Sambucam, Psalterion, & Symphonia, nomina frustra alibi querenda. Tandem omnia ferè recurrunt in Psalmis, exceptis iis, quæ apud unum Danielem parent, & quorum nomina è Græco derivantur. Modò de singulis aliqua

Fidicularia Instrumenta.

Nablum sive Nabel instrumentum est ligneum (a), quod plerumque in Scriptura jungitur Kinnor, tympano (*), & Mezilotaim (b). Ejus usus in pompis & caeremoniis Religionis. Ex tribus Psalmorum locis (c) harmoniam fecisse plerumque apparet cum Asur sive instrumento decacordo; & unum idemque reputari potuissent Nebel & Asur, nisi in Psal. 91. disertè distinguerentur; In Psalterio decacordo (In Asur & Nebel). Hac in Scriptura de Nebel, quam vocem Septuaginta sæpius reddunt Psalterion, rarè Nablum sive Nablum.

Porro Nablum Veterum instrumentum erat fidiculare, teste Sopatro apud Athenæum (d), dictum etiam Sidonium, quod Phœnicium inventum crederetur. Constitit

z Vide Comment. in Levit. 25. 10.

a 3. Reg. 10. 12. & 2. Par. 9. 11. * 2. Reg. 6. 5. & 1. Par. 13. 8. b 1. Par. 15. 16. & 35. 1. 6. & 2. Par. 5. 12. & 2. Esdr. 12. 17. c Psal. 22. 2. Benevel aur Simrù lù, & Psal. 143. 9. d Athen. lib. 4. cap. 23. pag. 175.

disse tradit Author ille ex cavo quodam ligno, ad latera & è regione tenarum cordarum defixo, quo harmonicis quidam sonus reddebatur. Nablum fidiculare esse instrumentum, sicut cytharam, Eusebius in Pf. 80. est author. Utrâque manu pulsari tradit Ovidius de Arte lib. 3.

Disce etiam duplici genalia Nabilia palma Plestere: conveniunt dulcibus illa modis.

e Hieronymia-ster in Psal. 31. f Cassiodor. Prefat. in Psal.

g August. in Psal. 32.

h Joseph. Antiquit. lib. 8. cap. 2. pag. 262. i 3. Reg. 10. 12. k 2. Par. 9. 2.

Tandem Septuaginta reddere amant hanc vocem Psalterion, quo nomine fidiculare instrumentum in lyra modum intelligimus. Psalterium, ait S. Hieronymus [e], Cassiodorus (f), & S. Isidorus, delta Grecorum exprimens, cavum habet in superioribus ventrem; fides ex inferioribus ad superiora protensa, inferiùs pulsata superius resonant: cum cytharam in superioribus pulsari, in inferioribus resonare notum sit. Ità S. Augustinus (g), S. Basilus in Pf. 1. S. Hieronymus in Pfs. 149. & 150. S. Hieronymus Prol. in Pfs. Cassiodorus Præf. in Pfs. & S. Hilarius Prol. in Pfs. Plectro pulsari Psalterium tradit Cassiodorus, quod testimonio supra ex Ovidio laudato de Nablo utroque manu pulsato nihil repugnat; cum ejus generis instrumenta sive penâ sive virgulâ sive digitis æquè plecterentur.

Nablum Templi Jerosolymitani ex electro, metallo, si quod aliud, preciosissimo conflatum narrat Josephus (h). Potuit id quidem ejus ætate; cæterum à Salomone in usum Templi fabricatum Nablum ex ligno Almugim, testimonio Regum (i), & Paralipomenon (k), docemur. Idem Josephus Antiq. 1. 7. c. 10. pag. 243. duodecim fidibus instructum idem instrumentum digitis pulsari testatur. Psalterium plurimis fidibus instructum Græci modulabantur; cujus generis instrumentum fidibus numerosissimum, ut nobilissimum inventionis suæ monumentum staret, Alexander Cythereus in Templo Ephesino dedicavit, teste Juba apud Athenæum lib. 4. cap. 25. Meminit idem Athenæus ibid. alterius Psalterii, cui nomen Lyrophanic, sive Epigonicum è nomine Inventoris, quod deinde instrumentum transmutatum fuit in Psalterium rectum, apud Varronem Orithopalicum, quod facile ex inferioribus ad superiora ascendendo, ut vetus Nebel, pulsaretur.

Nostræ ætatis Psalterium plectro pulsatur, nempe virgulâ quâdam ferreâ, seu recurvo quodam ligno. Instrumentum est planum, figuram exhibens trianguli sive trapezii. Instruitur 13. ordinibus fidium è ferro sive auricalcho, ad unisonum sive ad octavam tensis, & fulcro ad duo instrumenti latera commissis, ut proinde fides ad utrumque latus protendantur. Quare aliud planè est instrumentum à veteri Psalterio, cujus fides è superioribus ad inferiora tendebantur.

l Dan. 3. 5. 7. 10.

Cythara vetus, cujus sæpe in Scriptura mentio, apud Danielem Kitros (l), ita pluribus referentibus Patribus depingitur. Instrumentum erat triangulare, fidibus ex superioribus ad inferiora tensis, ventre

cavo inferiùs reboantique instructum; in superioribus manu sive plectro, uti supra innuimus, tangebatur. Instrumentum decacordum Hebræorum, quod illi vernaculo sermone Asur, i. e. decimus, appellabant, idem fuisse credimus cum veteri cythara. Ejus imago plures fides exhibet, harpæ nostrati, recentiori planè instrumento, non abimiles. Pseudo-Hieronymus in Pfs. sex fidibus instructam cytharam perhibet; 24. tribuit Author Epistolæ ad Dardanum, inter Opera ejusdem Patris, & digitis pulsari instrumentum illud testatur. Profecè fidium numerus nunquam satis certus constitutus est, & digitis interdum, quemadmodum & plectro quodam, sæpe pulsabatur.

Kinnor redditur à Septuaginta Kynir, Psalterion, & Cythara. Ejus usus jam inde ante diluvium (m); eodemque coram Saule Davidem luisse legimus 1. Reg. 16. 16. 23. Ligneum erat instrumentum, quemadmodum & Nebel (n), de quo supra. Kinnor sa. cibus in ripa Jordanis suspensus sc. captivi Babylonie profitentur Psal. 136. 2. Eo scemine utebantur [o], & vulgatissimum erat apud Tyrios instrumentum (p); quemadmodum & peculiariter octava classis Musicorum in Tabernaculo sub Davide (q). Triskem & reboantem sonum edidisse Isaias significare visus est illis verbis 16. 11. Venter meus quasi Cythara (Hebr. Kinnor) sonabit. Et Kinnoros in Græco triste aliquid & lamentabile sonare Hesychius testatur. Horatius lib. 3. Od. 11.

Non loquax olim, neque grata: nunc & Divitum mensis, & amica Templis.

Cynnaram Templi decacordum fuisse, & plectro pulsari Josephus Antiq. lib. 7. cap. 10. pag. 243. est author. Alibi verò nempe lib. 8. cap. 2. narrat, ex Electro quam plurima ejus generis instrumenta Salomonem comparasse; quod Scripturæ testimonio repugnat, ubi legimus Cynnaram Salomonis ex ligno non metallo constituisse. Porro duo esse planè diversa instrumenta Cynnaram, & Cytharam ex eo intelligimus, quod 2. Macchab. 4. 54. & 13. 51. ambo illa eodem in loco recensentur.

Sed operæ pretium est hic adnotare cum Euphorione apud Athenæum lib. 14. cap. 4. vetera fidibus ditissima instrumenta confundi sæpe, soloque nomine non raro distingui. Cum enim longâ jam obtinerint ætate, accidit non raro, ut varîè immutata varias etiam denominationes obtinerint; quamvis re quidem eadem semper, & parum diversa manserint. Ita si quando apud aliquos tribus fidibus instructa legimus, apud alios septem, 10. 12. 24. si ab aliquibus pulsari digitis perhibeantur, ab aliis plectro; si quidam describunt chordis è superiori ad inferiora protensis, alii verò per transversum & in plano; non continuo tamen plura inter se diversa instrumenta reputanda sunt; quanquam alioqui, cum adè inter se variant, diversum etiam nomen obtinere debuerint. Accidit non raro, ut sæpe vel uno

m Gen. 4. 21. n 3. Reg. 10. 12. & 2. Par. 9. 11. o Isai. 23. 16. p Ezechiel. 26. 13. Isai. loc. citat. q 1. Par. 15. 21.